

Ego in senatum ibo; non via scruposior
 Aut terribilior in Orcum fert; ibi minax
 Mei patris adspectus, quasi acutus pugio
 Transfiget animum mihi et fortasse Reguli
 Dirae descendunt in meum miserum caput.
 AT. O di! donare sultis, ut moriar! — PU. Etsi scelus
 in civitatem committatur, rem, matercula,
 Paratus sum facere, licet invitus; modo tu quiesce.
 AT. Mene quiescere? — PU. Em iam bito, mater, vide.
 AT. Bitis? Meus te maternus prosequatur favor.

SCENA XIII

ATILIA.

Fortuna iam pridem desiderata et lacrimis
 Crebris petita post annos cruciis doloribus
 Peractos appetat falsa. Cum animo sic sentio
 Me gaudium praetervolare praeceps et metum
 Usque clamare: non unquam fies beata, compara
 Te ad dolores maximos, contempta atque execrabilis
 Matrona. Mi tales animum subeunt imagines,
 Hoc mecum sentio et tamen vivo. Adsimilata sum
 Vermi, pedibus qui conculcatur crudelissime.
 Satis ego diu meam fortunam pertuli;
 Num finem vitae meae iam imponere quis votet?
 Eheu, eheu, crucior! Quid flet vobis, filii?

Explicit actus I.

ACTUS II

SCENA I

METELLUS.

Duellum ergo, patres, decernitis. Ne sit Sicilia
 Pons, quo Karthaginenses rem superbe publicam
 Lacescant proelio. Sic omnes cogitatis vos, ut antiquitus
 Patres nostri senserint; sola potest concordia
 Bene temperare rei gubernacula publicae.
 Duellum sed tamen esse decretum non est satis:
 Civis oportet exsurgere omnis totis viribus.
 Isti fasces nos compellare videntur; intuemini:
 Hos sane singulos etiam puer tenerimus,
 Sed totum fasciculum potest vis nulla frangere.
 Scientia est vetus, sed istanc homp nemo sequitur.
 Sicut Curiati armis Horatii ceciderunt singuli.

(Ad proximum numerum).

ALMA ROMA



QVID QVID NON
 POSSIDET ARMIS
 RELIGIONE
 TENET

Per.
 Lat
 011

C. DEL VECCHIO.



Pauca exemplaria supersunt

JOSEPHI FORNARI operis, cui titulus:

COMMUNIA VITAE

Phrases et formulae ad latina colloquia instituenda.

Editio altera locupletior.

Venit libell. italic. 8; quibus addendae erunt libell. 0,50 in Italia; libell. 1 apud exteras nationes, pro transmissionis expensis.

Praeterea

Apud Commentarii Administratorem venumdantur eiusdem auctoris Mileiae fabulae latine scriptae scenisque accommodatae apud ephebea facile agendis:

FRIDIANUS-FRANCISCVLI PRANDIUM

Singulae pretio italic. libell. 2.

(*Iis vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus.*)

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integram ALMAE ROMAE collectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXXV, paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituimus libellorum 525 pro Italia; pretium duplicatum, libell. italic. scilicet 1050, pro exteris gentibus.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam syngrapham in Urbe exigendam, *recto tramite* requirendae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est, non sinit ut foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

Ann. XXIII

Romae, Mense Iulio MCMXXXVI

Fasc. VII

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium subnotationis an. MCMXXXVI est pro Italia libell. 15; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 30 exaequias; *ante solvendum rectoque tramite mittendum* sive ad JOSEPHUM FORNARI doctorem *Romam, Via del Governo Vecchio, 96* sive ad *Typographiam Polyglottam Vaticanam, Città del Vaticano*.

DE NOVIS CIVIUM CONLEGIS QUAE CORPORATIONES NUNCUPANTUR

Aetate quam dicimus medium, artificum corporibus, sicut et civitatibus, facultas erat sibi condendi *Statuta ac Regulas*, quae vim legis haberent. Id eversum deletumque est saec. XVIII et XIX. Novissimis tamen hisce temporibus, quum ex «liberalismi» confusione atque e socialistarum nefariis connotibus tam multa tamque immania damna operariorum condicio atque ipsa respublica ubique passa esset, catholici, duce cum primis Leone PP. XIII, animos viresque intenderunt ad immanes operarum interdatores atque assumptores concertationes amico foedere componenda in pace et iustitia Christi. Diurna catholicorum, pacifica sed asperrima simul, contentio non fuit; nam hic illic de re leges dari coepitae sunt atque corpora excitari hinc datorum, inde vero susceptorum opera. Haec autem corpora nonnisi privati iuris personae erant, ita ut eorumdem statuta vim legis non haberent, sed tantum vim pacti conventi inter corporum membra; quod non componebat, immo vero acrius fovebat classium luctam, contra quam eo altius clamabat christiana schola socialis.

Tandem ad hanc proprius accessere Gubernia quaedam, aut catholicam doctrinam

non aperte profitendo, sed factis sine usura exsequendo, ut in Italia, in Lusitania; aut eam et aperte profitendo et pro viribus exsequendo, ut in Austria.¹ Italia enim principem dedit ac perficiendam curavit ordinationem, lata demum lege d. v mens. febr. MCMXXXIV, n. 163. Cuius capita haec fere sunt:

Singuli cives, qui operas locent aut suscipiant, convenient in singularia conlegia aut alicuius operum generis datorum aut eiusdem assumptorum, aut liberales artes profitentur; quae conlegia *Syndicatus* (quasi a συνδέχομαι) vocantur: syndicatus est minima eaque unitaria consociatio, quae, ratione territorii potest esse municipalis, provincialis aut nationalis; eius

¹ Italia, duce Benito Mussolini, nulla praeiudiciorum formidine, spectativorum intercipiens verborum lusus, legem quae caput rei esset edendam pro viribus studuit de «corporativa Status constitutione». Exemplum sequutus est in Austria Engelbertus Dollfuss, qui scholae catholicae alumnus, ad novam Reipublicae christianam ordinationem corporativam viribus omnibus contendit, sed nefarie interemptus est VII kal. august. an. MCMXXXIV; in Lusitania Oliveira Salazar, doctrina, catholica pietate, modestia praecellens, tacitus, propositi tenax eamdem fere viam tenuit (cfr. Const. Lusit. d. XIX mens. martii MCMXXXIII, aa. 5, 18 ss., 29 ss., 85, 102 ss.).

membra non sunt nisi singulae personae; sed ex praedicta lege syndicatus non potest in «personam moralem» erigi, neque in syndicatu simul esse possunt eiusdem generis datores operae ac susceptores.

E syndicatibus pluribus conflantur consociationes syndicales ordinis secundi, quae *Foederations* dicuntur. Si syndicatus est municipalis, foederatio est plerumque provincialis; sed potest etiam esse «interprovincialis», scilicet plures provincias complecti, aut nationalis, cauto ut singula datorum operis, opificum et artificum genera, singulas habeant foederationes.

Foederations componuntur plerumque in *Confoederations locales*, quae sunt consociationes complexae tertii ordinis, pluraque complectuntur datorum operis, opificum, aut artificum genera.

Plures foederations, aut locales confederationes convenient tandem in *Confoederations nationales*, servata semper dators inter operae et assumptores separatione. Itaque binae confederationes nationales constitutae sunt, altera operum datorum, altera assumptorum *a) pro industria, b) pro agricultura, c) pro commerciis, d) pro creditis et cautionibus; singula autem e) pro artibus et professionibus; omnes simul novem.*

Consociationes syndicales superioris ordinis (foederations et confoederations) legitime recognitae ipso facto personae iuridicae sunt. Eisdem munus est, inter cetera, contractus operarum locandarum collectivos, qui vocantur, stipulari; contractus scilicet qui vim legis habeant pro omnibus, iis quoque qui extra consociationes syndicales sint. Hac de causa non imerito his consociationibus syndicalibus veri nominis autonomia agnoscitur.

In omnibus syndicalium associationum gradibus, ab imis ad summos, perpetua servatur distinctio ac separatio inter operarum dators et assumptores; exinde inter utrumque agmen non modo nasci potest

aemulatio, quae prodest, sed contentio, quae malorum est fomes. Ad hanc praecavendam constituta sunt administrativa collegia, quae concordiam publica auctoritate componant: hae sunt *Corporationes*, quae quidem non gaudent persona iuridica, sed membra sunt publicae administrationis, imperio munita, quorum decreta vim legis habent. Sed eo ipso quod personae iuridicae nota carent iisdem non autonomia convenit, sed ipsum imperium quod convenit organis publicis. Ne fusius rem explaneamus (nimis enim traheretur oratio) in firmo positum sit, in novissimo iure italicico syndicatus primi gradus non esse personas iuridicas; syndicatus superioris gradus esse personas iuridicas, publicas, autonomas seu autarchicas, vera corpora, vera propriaque conlegia; corporationes denique non personas, sed organa supremae personae moralis, organa Status esse, legislativa quadam et consultiva potestate munita, scilicet organa administrativa a Supremo Regimine constituta, elementis maximam partem delectis e syndicatis ad concordiam iuridice componendam inter syndicatorum forte opposita commoda atque contentiones, circa supremum Reipublicae bonum, cui omnia singulorum bona cedant oportet. Quas autem normas ad hanc obtinendam fovendamque concordiam Corporationes edunt, eae vim legis obtinent pro singulis tum syndicatis, cum etiam privatis civibus.

Haec adnotasse sufficiat ad notionem novorum civium conlegiorum habendam, quea *Corporationum* nomen obtinuerunt.

ROMANUS.

MONITUM

Ut iamdiu assuevimus, fasciculi mensis Augusti et Septembri in unum colligentur, qui primis Septembri mensis diebus prodibit.

AD Q. HORATIUM FLACCUM

BISMILLESIMO EXEUNTE ANNO AB EIUS ORTU¹

Occupat ora hominum (at credo, mi dulcis
[Horati,
Vel per et Elysios famam volitasse loquacem)
Aevi huius subolem, studiis atque ausibus altam,
Artis et ingenii tot iam documenta tulisse
Tantaque, ut inventum sibi quodque parasse
putetur,
Omnia quae cupiant humanis commoda pree-
[bens.
Quae mora, qui vel obex, non exsuperabilis
[olim
Viribus aut animis potis est obsistere nostris?
Ut pelagi incolumes penetrare valemus in ima,
Sic datur et celsum proprius contingere caelum.
At tamen haec inter, quae quis portenta reatur,
Nondum, Flacce, modum nostrae solertia mentis
Repperit ut cito, vel certo post tempore, saltem,
Hinc aliqua ad sacros reddatur epistola Manes,
Aut ipsis detur, tamquam viventibus, uti,
Non velut in somnis, sed re, adloquio sed et ore.

Nec, Pol, enim vafris adigar nebulaibus un-
[quam
Fidere qui, medios velut Elysium inter et orbem
Se permittentes, vacuas ostendere formas
In tacitis certant, metuendo more, tenebris,
Exiguamque iubent mensam ad numerum dare
[saltus,
Sicque clientem aiunt cum Manibus esse locu-
[tum.
Scilicet hi bliteis contendunt vendere fumum,
Vulgus enim, recinunt, ludi vafroribus optat;
Nec vulgo ista, putes? doctissima vel caret aetas.

¹ Auctor clarissimus, qui ad saecularia Mantuani poëtae, municipis sui, celebranda poemation ingeniosum item atque disertissimum, cui titulus *Vergilius redux*, vulgavit (cfr. ALMA ROMA, an. XIX, fasc. VII, pag. 112 sqq.), nunc in Horatii honorem, bis millesimo anno ab eius ortu exeunte, carminum volumen typis Nicolai Zanichelli Bononiae edidit; singulis quibusque metris Horatianis feliciter respondentium; quibus alia quoque addidit, inter quae de ruris illud facie, vespera, quod in Astelodamensi Hoeufftiano certamine anni MCMXXXII praemium reportavit. Iis quasi aditum aperit epistula haec ad Venusinum poëtam, quam honori ducimus in nostras paginas referre (A. R.).

Cum tamen, ut reor, invisi, permulta videre
Elysio possint Manes, vel et omnia nosse,
Has ideo volui calamo signare tabellas
Ut tuus ingenuas oculus perlustret amice
Et mihi corde imo quae sit sententia discas.

Gratulor ergo Tibi, Aonio quod percitus oestro,
Fortasse, aut potius mirae quod conscius artis
Ipse tuae quondam, ventura in saecula mentis
Lumina defigens, monumentum Te tibi verum
Exegisse canis, duroque perennius aere.
Nonne sat eventus carmen caeleste probavit?
En, iam longa quater sunt saecula quina peracta
Cum primum aethereas subiisti luminis auras,
(O fausta illa dies qua Te genuere parentes!)—
Ast insigne tuum vatum volitare per ora
Nomen, opusve sagax mentes agitare disertas,
Non, vel in obscuris aevis, prope desit unquam.
Quae Tibi (quis dubitet?) dilecta signa locâ-
[rant

Maecenas memor, aut Caesar, iam dente vetu-
[stas

Invida protrivit, sed adhuc tua carmina restant,
Inque dies magis aetates domitura videntur,
Quae docti cum saepe diu noctuque revolvant,
At tamen expleri nequeant tot amoena legendo.

Tu non ventosae plebis suffragia captans
Primus ad Ausonios, queis praenituere per or-
[bem

Argolici vates, Alcaeus et inclyta Sappho
Archilocusque, modos prudens deducere es au-
[sus;

Quodque prius cythara nunquam resonare Latina
Audierat quisquam, facilisque bonusque tulisti.
Quid non Pierio cecinit tua carmina Musa?
En, modo sacra Deûm celebras procerumque ja-
vorem,

Maiorum modo virtutes, patriaeque triumphos;
Saepe voluptates villae aut convivia laeta,
Saepe et amicitias, varios aut ludis amores;
Denique cuncta, virûm quae tangant pectora tra-
[ctas.

Sed vitam fortasse tuam, tua scripta fuisse
Non semper casta, aut iura observasse pudoris,
Arguat hic aliquis, nec ego adsentire recusem.
Quid mirum vero, Solis si lumine privus

(Utpote qui nondum rutilans illuxerat orbi)
Quis quandoque cadat, sorde ac se polluat atra?
Quid mirum iuvenis si, adductis liber habenis,
Illecebris cedat, nec Circes pocula spernat?

Sanguinis at postquam venis deferbuit aestus,
Mirifice atque niger coepit canere capillus,
Provida tum caeco subiit sapientia cordi
Quando Epicuri pertaesum sua dogmata Zeno
Persuasit. Blandis fidibus tunc saepe relictis,
Armataque manu duris in crimina flagris,
Urbane lepideque tuus plebis equitumve
Mores castigare labor, si degener unquam
Urbs, proavos recolens, resipisceret alta Quirini.
Quis salsa pariter satyras, pariterque venustas
Scriptor in orbe tulit? Nullus, me iudice, tecum
Vel salibus certet, vel Te vi mentis adaequet.

Verum, Flacce, tamen non defit et altera turba
Quae parvi atque abiecti animi Te nomine turpet
Quod, propriae studio vitae, tam Caesaris acrem
Assentatorem ipse tuo Te carmine prodas.
« Scilicet — isti aiunt — sibi iam Respublica quanti
Libertasque foret, Vates ostendit aperte.
Non ergo obsequii tantum praestare tyranno,
Ac veluti ad nutum servire in principis aula,
Romanum civem; purgata et nare, pudebat?
O, hominem bene qui tenuit sua scuta Philippis! »

« Eia age — sic contra Tu respondere videris —
Quid prudens facerem tanto in discrimine rerum
Unus si Caesar poterat defendere summam?
Nonne, ita, vel melius rerum patriaeque saluti
Consuluisse puter, quae iam in peiora ruebant?
Insuper aeris egens patrioque exutus agello,
Carminibus premerem qui me relevasset amice;
Ille opibus iuvit, simul et cumulavit honore;
Ille, quasi deus, usque suo me numine texit;
Nomen ego illius blandum laudesque tacerem,
Sicque animi ingratia penes omnes argueret, quo
Non magis infandum toto sit dedecus orbe? »

Belle, sic aiens, tua iura tueris, Horati,
Et maledicentum pariter sic obstruis ora.
Sed sine te latrent; sine iam litoris edaci
Tabe sui maceant; Tibi murus aheneus esto
Tot scripsisse libros Musarum quos sacer ipse
Inspirasse chorus plane videatur, et unde
Pieridum quisquis vulgo referatur alumnus,
(Exterus aut nostras) veneres, sensusque, sales-

[que
Certet, aente manu, laetas sibi quaerere prae-
das.

Cur igitur, quoniam bis nunc millesimus anni

Cursus adest felix, nostro qui protulit orbi
Te citharae et satyrae, sermonum artisque ma-
[gistrum,

Non ego Te celebrem, dignis ac laudibus ornem?
Vergilium parili eventu qui non ita multo
Ante celebravi, Te quomodo praeteream, illi
Quo nunquam, haud dubie, fuerit coniunctior al-
[ter

Dulcis amicitiae sacrato foedere, quamvis
Moribus et vita diversum, carmine teste?
Ergo Tibi mea quod nunc obsequiosa voluntas
Pene timens defert, Tu, sis, bonum accipe do-
[num;

Parvum euidem atque impar, sed multi acris-
[que laboris;
Et quod nullus adhuc forsan, Tibi detulit un-
[quam. ²

Scilicet excepta, qua flexilis ut Iovis ales,
Infima despiciens, superas exsurgis in auras
Quaque lyrae cultor nemo, vel clarus, adaequet
Calliditate artis, Tibi nunc, en, reddo libellum
Omnia qui duro tentamine, carmina praebet
(O, bene mi tanti cedat tentaminis ausus)
Isdem cuncta modis, graeco de fonte paratis,
Quos Tibi praecipue placuit deducere Romam.

Ne tamen exspectes mea carmina, candide
[Flacce,
Prorsus idem, magis ut placeant plerisque, so-
[nare

Ac tua, vel rebus fortasse et sensibus isdem
Esse mihi conflata; immo, ista ex parte, fateri
Non pudet, omnino discordes esse vicissim.
Nec mirum vero, cum Tu plerumque secutus
(Usque adeo tabe omne nefas inficerat aevum)
Dogmata sis rectae penitus contraria vitae.
Hoc Te praemonitum liquido, mi Flacce, vole-
[bam

Salva ut utrique forent plane sua iura. Valeto.

ANACLETUS TRAZZI.

² Hic adnotat Auctor: « Ita scripsoram sub fide
etiam quorundam doctorum hominum, quos de hac
ipsa re consulueram; at, ultimis hisce diebus, legens
Carmina I. Pascoli, comperi hunc quoque in poëma-
tio cui titulus: Fanum Vacunae omnia Horatii metra,
brevioribus quidem carminibus, usurpasse. Unicui-
que suum ». -----

— Disce sed a doctis; indoctos ipse doceto.
— Non cuivis homini contingit adire Corinthum.
— Non mare transisset, pavidus si nauta fuisset.

IOANNES RUSKIN

Quod liberalium artium studium excultos
cuiusque gentis homines commovit pervas-
titque, et in mediis quod dicimus aevi edita
opera oculos mentesque convertit, nullum
aestate nostra tantum auctorem habuisse
dicendum est, quam Ioannem Ruskin, uni-
versae pulchritudinis spectatorem et inter-
pretem. Neque profecto tam facile alteri
concessam invenies eam oculorum mentis-
que aciem, subtilem ac peracutam, qua
quis valeat pulcrarum rerum signa, colo-
res, lineas, motus, spectanti multitudini
plerumque abdita, luculenter percipere inde-
que divina dicendi vi penitus revelare.
Ecquid autem dices, quum novi huiusmodi
adspexit ignotique splendores non tam
incuriosos harum rerum civium ordines atti-
tonitos reddiderint, sed et ipsos artifices
vel eorum operum peritissimos scrutatores
stupore perculerint? Id enim Ioannis scri-
ptis datum est, architectis, sculptoribus ac
praecipue pictoribus, quotquot renascen-
tibus ingenuis artibus Urbinate summum
praecesserunt, dignam peritia lectissima
gloriam restituere. Quae tamen non sine
assiduo studio obtinuit, et Anglo cuidam,
qui sese Botticelli tabulas primo oculorum
intuitu summi magistri recognovisse blate-
rabat: « At ego », respondit, « ut id intel-
ligerem bis decem annos moratus sum ».

Sed praeter insolitum ac validissimum
mentis ingenium, quo praeditus fuit, una
ipsi, quoties de artium operibus scribebat,
magistra natura fuit, cuius contemplatione
prae omnibus delectabatur. Eius enim tum
latissimae caeli, aequoris, montium et sil-
varum pompa, tum quae minimae sunt in
florum corollis abdite, vel roris gutture
tremulo splendore remissae, veluti poë-
tae oculos sibi continuo devinciebant. Spe-
culabatur inde studiose qua potissimum
cristata linea marini fluctus urgerent litus,
quae molli forma nubes vento agerentur,

atque inter silvarum innumeris truncis
cathedralium translucerent adspactus; vel
quum litorum cespites consideraret, facilis
ad candidas illas exilesque angelorum for-
mas, a primis pictoribus expressas, transi-
tus erat.

Ita coactae in memoria eius sunt innu-
merae universalis pulchritudinis imagines,
quumque ad artium opera perscrutanda at-
que interpretanda ille converteretur, inge-
nii aciem quasi centuplicatam sentiebat. Et
facile ignotum quoddam formarum agmen
menti extemplo exsurgere ei videbatur,
quod quidem ob naturalis pulchritudinis me-
moriam una cum subiecto artificis opere
provocare sibi necesse erat. Accidit inde,
ut eodem quasi ritu, quo artium opera as-
solent ab artifice concipi, et ipse earum
interpretes studiosissimus ac maxime subtilis
fieret, conversis ad pulcherrimos adspactus
oculis, quibus diurna naturae miracula
vatis quendam intuitum communicassent.

Quare vix editis primis eius libris, novo
stupore perculsi sunt lectores, acriusque
poenituit Murray, anglicum editorem, ado-
lescentis manuscriptum primum, cui Recen-
tes pictores titulus, respuisse. Qua
tamen repulsa minime fractus Ioannis est
animus, quin imo ipse sua scripta praelo
edere coepit, unde acceptum lucrum spem
eius omnem brevi praetergressum est.

Sed vatis animus, divitiis auctus, qua
esset intima praeditus suavitate statim
ostendit, totusque incubuit, ut egenos et
rudes pro posse iuvaret. Scholam condidit,
librariam officinam, cui operariorum legio
daret operam, e solo excitavit; domus pro
eorum familiis constituit, quas incolere
commode possent, et uxoribus et puellis
texendi lintea artem in propatulo reddidit.
Londini vero in urbe, populi quoddam la-
tissimum posuit hospitium, coquinis instru-
ctum, ut et quies et cibaria tenui sumptu
miseris pararentur.

Opera, quae descriptis, plurima fuerunt,
nec omnia pariter omnibus nota: Recentes

pictores; *De gregis constitutione; Proserpina; Venetiarum lapides; Architecturae et picturae tractatus; Ingenuae medii aevi artes; Vallis Arni; Florentinae deambulationes.* Verum, praeter intentum illum primum et veluti immediatum, quem sibi in his exarandis scriptis proposuit, ut summa artificum patrata interpretaretur, et minus cultis vel minus diligentibus oculis planiora redderet, atque facultatem intelligendi pulcritudinem in omnibus acueret, gaudiumque quod inde percipitur multiplicaret, novum fuit illi et omnino proprium consilium. Voluit nempe ut diffusa haec et quam plurimis communicata effectae pulcritudinis laetitia animos mentesque civium expliret, leniret, mitiores redderet, atque in mutua humanae societatis conversatione ad bonum in benevolentia operandum, ad diligendos et iuvandos homines magis magisque flecteret. Quod sane studium quam acriter ipse foveret primus ostendit, ita ut non gloria ingenii tantum, sed et munificentiae laude plenus, octogesimum primum aetatis annum attigerit, et civium fletu prosequente, cum xix decedente saeculo obierit.

I. ANTONELLI COSRAGGINI.

DE FONTIBUS IURIS ITALICI LINEAMENTA HISTORICA

AETAS NOVA¹

Commune italicum saec. XIII-XV est igitur «Civitas - Status», societas sibi sufficiens, suprema libertate fruens, quam defendit exterius adversus Imperatorem, firmat autem interius sapienti constitutio, quae tamen varia est pro locorum adiunctis. Summum *Communis* imperium est modo penes unum (Venetiis penes Ducem),

modo penes binos Consules, modo penes plures, qui quasi corporum aut regionum civitatis sint legati; modo annui sunt, modo semestres, rarissime (Venetiis) in vitae perpetuitate. Quibus adsident, a populo quasi delegati, bini consulentium coetus, alter Consilium, alter Popularis legatio (Italice Parlamento) appellatus; neque eadem ratione ubique eliguntur. Plerumque magister populi dicitur «Potestas» (vulgo *Podestà*) et advena esse debet, eique adstant «Dux populi» (*Capitano del Popolo*) in re militari, et «Signifer iustitiae» (*Gonfaloniere di giustizia*) in re iudiciali. Vitae centrum est «Palatum urbis» (*Palazzo di città, Hôtel de Ville, Rathaus*), quasi arx et propugnaculum libertatis, non eorum modo, qui intra moenia sunt, sed eorum etiam qui circum incolunt; ita *Commune* graditur sensim ad ampliorem Statum et Rempublicam.

Attamen huiusmodi regimen Municipiis Latinis atque Graecis Civitatibus magis accedit quam Statui recentiori.

Nam in Communibus medii quod dicitur aevi *Respublica* sensu novissimo populari (*δημοκρατικῶ*) non concipitur; nuncquam secum fert plenam undequaque civium aequalitatem, sapit *όλιγαρχία*. Id unum cum primis omnium interest, ut procul arceatur Imperator.

Neque id arduum; nam mortuo Friderico II (a. MCCL) imperium rursus ad extrema fata declinat; itaque in Germania feudatarii potiores amplificant, minoribus oppressis, dominia atque audaciam augent; in Italia Communum rectores in dominatum inclinant; nihil efficiunt, nihil impediunt Imperatores usque ad Henricum VII, qui ultimus descendit in Italiam, ubi moritur anno MCCCXIII; nihil eius successores, qui in Italiam non descendunt; in Germania reguntur magis quam regunt, usque ad Carolum V (MD-MDLVIII).

Ecclesia interea, postquam Suevorum iactantiam excusserat, in lenocinia incidit

Gallorum, quibus sanctissime restitit Bonifacius VIII; resistere tamen non potuerunt successores, maxime in captivitate quam dicunt Avenionensi (MCCC-V-MCCCLXXVII): tum perturbantur quam maxime res Urbis non modo, sed Italiae universae; nec tantum religionis, sed vel civitatis: nam religio nefastum patitur schisma Occidentis, postea Lutheranum, deinde Anglicanum: Constantinopolis a Turcis oppugnatur; Urbs autem et Status S. Petri a latronibus omne genus funestatur: Italia fit quasi audaciorum preda.

Atque primum Galliae. Quae iam a medio saeculo XIII, post Friderici II obitum, occupaverat Siciliae et Neapolis regnum; dein a Sicilia pulsa, recesserat ad Neapolitanum cum Angioin. Interea, post Philippi cognomine Pulchri mortem, calamitates passa est interius a feudatariis et populo, exterius ab Anglis (Bellum centum annorum); sed paulo post quasi moribus refecta viribusque renovatis, rediit in Italiam cum Carolo VIII adversus Hispanos Aragonenses (MCCCCXCIV).

In Italia inferiore, mortuo Friderico II, eiusque filio ac successore Conrado IV, precario regnum tenuit Manfridus, usque dum veniret Conradinus; sed ecce Carolus Angiovinus e Gallia descendit (MCCLXV), fundit Manfridum ad Beneventum, dein Conradinum in campis Palentinis captum Neapoli morti committit, regnum occupat, sed paulo post tumultuarie a Sicilia depellitur, quo advocatur Petrus Aragoniensis. Inde discordiae inter Aragonenses et Angioinos; tandem extincta horum familia, utraque pars devenit ad Alfonsum V, cognomine Magnanum, Aragoniae regem (MCCCCXLII). Hic populus adhaesit regibus contra feudatarios, qui origine erant Germani et Byzantini; facilius igitur regnum cohaesit atque firmatum est. Sed praestat nonnulla recolere de Sicilia atque Sardinia nobilissimis insulis.

Petro Aragonensi successit Iacobus II


¹ Cfr. fasc. sup.

filius, et postea huius frater Fridericus III, qui post pacem Caltabellottae (MCCCII) regnum Trinacriae sapienter firmavit, insulae Communita amice componens, adiuvantibus feudatariis, qui fiunt nunc nobiles et regimen participant cum rege, cum populo et cum clero. At Petrus II, Friderici III filius et successor, discordias compescere non valuit, quae insulam perturbaverunt usque ad Alfonsum V Aragoniae regem (MCCCCXVI), qui regnum Siciliae cumulavit cum Aragoniae regno, dein cum regno Sardo et Neapolitano (MCCCCXLII).

Sardinia aetate barbarica occupata fuit a Byzantinis, postea a Saracenis, quos pepulerunt Genuenses et Pisani; hi distribuerunt insulam in quattuor *Iudicatus*. Contendentibus Genuensibus, Pisani atque insulanis, ad eos componendos Bonifacius VIII creat regnum Sardiniae, idque committit Iacobu Aragonensi: exinde insula quasi dominium fit Hispaniae.

Non tamen sine contentione, in qua nobilissima praestitit Eleonora Arborea (MCCCLXXXIII-MCDIV). Duobus post saeculis (a. MDCCXVIII) Sardinia adnectetur Pedemonti, cui dabit nomen regium, ad universam peninsulam successiva aetate extendendum.

Ita a Feudalismo transitus fit ad Communia, a Communibus ad Dominatus, a quibus ad maiorum nationum contentiones de imperio (*ήγεμονία*) in Europa, maximeque in Italia. Dominatus e Communibz ita nascitur: Communis supremi magistratus fiunt domini Communis; nomen, quod antea signum erat honoris et munera publici, nunc principatum, imperium in uno significat; qui antea regebat populi nomine, regit nunc nomine proprio. Praecipui dominatus ab exeunte saec. XIII sunt Ferrariae (Estensium), Mediolani (Turrianorum et Vicecomitum), Bononiae (Pepoliorum), Mantuae (Gonzagorum), Florentiae (Mediceorum), Sabaudiae, Veronae (Scaligerum), aliique.



Itaque ineunte saec. xv, et nova aetate, Gallia, Germania, Hispania, Lusitania, Anglia, Helvetia ipsa unitatem iam politicam fovent; Italia vero in duodeviginti partes politice divisa est, quae sunt:

- I – Ducatus Sabaudiae;
- II – Marchiae pedemontanae, comitatus ducatusque minores pedemontani;
- III – Ducatus Mediolanensis;
- IV – Respublica Veneta;
- V – Patriarchatus Aquileiae, dependens a Venetis;
- VI – Comitatus episcopalis Tridentinus, ab Austria dependens;
- VII – Respublica Genuensis;
- VIII – Mantua (Marchia; postea Ducatus);
- IX – Ducatus Ferrariae, Mutinae et Regini;
- X – Minores Aemiliae dominatus (Guastalla, Mirandula, etc.);
- XI – Respublica Florentina, ubi Medicina familia reapse dominatum exercet;
- XII – Respublica Senensis et Lucensis;
- XIII – Dominatus Ilvae et Plumbini;
- XIV – Patrimonium Sancti Petri;
- XV – Regnum Neapolitanum sub Aragoniis;
- XVI – Regnum Siciliae sub Hispanica corona;
- XVII – Regnum Sardiniae, item coronae Hispanicae adnexum;
- XVIII – Melita insula, Equitum Hierosolymitanorum dominatus.

Tam multa eiusdem corporis disiecta membra tamen uniuersi sanguis unus, una eadem omnium lingua, eadem religio, idem cultus, eadem historica fata, idem tandem animus.

Ad hanc Italiam descendit Carolus VIII a. MCDLXXXIV, integrum incolumis peninsula percurrit, profligatisque Hispanis, Neapolim occupat; sed anno post cogitur ipse aufugere domum, atque Hispani re-

gnun recuperant. Tribus post annis redit Ludovicus XII, eius successor, occupat Mediolanum, et regem Hispaniae Ferdinandum incitat atque adiuuat ad usurpanum regnum Neapolitanum, deicto Frederico III Aragonensi (MDIV): ita Sicilia, Sardinia, Neapolitanum regnum cumulantrum quasi in unum, et duodeviginti Italiae partes, quas numeravimus, ad sexdecim reducuntur. Ita etiam Italia media, opera praeuersum Alexandri VI et Iulii II Pontificum, domitis dominis rebellibus, arctius componitur; et paulo post in uno Carolo V uniuntur successive Germania inferior, Hispania (MDXVI) cum adnexis Siciliae, Sardiniae, Neapolis regnis et possessionibus Africae et Americae, atque deinde Austria, Bohemia, Hungaria, ad quae demum corona imperialis accedit.

Adversus Carolum stetit, invidia motus, Franciscus I, Galliae rex, qui in Italiam venit, sed ad Ticinum superatus et captus est, atque Matritum ductus, unde, fide data, aegre liber dimittitur. Interea Caroli copiae, Germanico ac « protestantico » furore compulsae, vastant Italiam atque Urbem (MDXXVII). Discordiis finem post tres annos imposuit pax Camaricensis, qua praedominium Hispanicum in Italia confirmatur: quamobrem renovato bello nova dat finem pax ad Castrum Camarucense (*Château Cambrésis*) anno MDLIX.

Succedit in Europa tranquillitas, relativa quidem, quinquaginta ferme annorum, in re politica: Status autem interius exagitantur discordiis religiosis: furit in Anglia Elisabeth sanguinaria, contra quam movet Philippus II, sed eius classis dissicitur plane (MDCXXXVIII), et adversus eundem provinciae Germaniae inferioris unitate devinctae in libertatem rebellant (MDCIX); flagrant in Gallia odia cladesque religiosa, flagrat in Germania bellum triginta annorum (MDCXVIII-XLVIII) quod clauditur pactione Westfaliensi. Praedominium Hispanicum tum politicae unitati cum

etiam ingenio et moribus atque virtuti animi Italici quam maxime nocuit; foventur itaque adversus regimen hispanicum coniuraciones; at frustra: Hispani enim coniurantibus oppressis, praedominium directe aut indirecte servant in tota Italia, si excipias Sabaudiam, Venetas, Statum Pontificium, Magnum Etruriae Ducatum. Divisa ita et sui paene oblita, ab exteris oppressa atque emuncta iacet Italia saeculis XVI, XVII et XVIII, illis, inquam, saeculis quum italicae litterae atque artes corusca luce nitent atque orbem terrarum collustrant. Ineunte vero saec. XVIII astrum hispanicum declinat; extincta enim regali familia, per quatuordecim annos ardet bellum de successione, quod extinguitur pace Traiecti et Budstadii anno MDCCXIV composita, magna cum iactura Hispaniae, cui Austria in Italia succedit. Anno MDCCXVII haec cedit Sardiniam Pedemonti. Sed ecce novum bellum de successione Poloniae, compositum pace Bonensi an. MDCCXXXVIII, qua Hispanus Carolus III de Borbonibus regnum duarum Siciliarum recuperat; et paulo post bellum de successione Austriaca, quod compositum est pace Aquisgranae anno MDCCXLVIII.

(*Sequitur*)

SYLVIA ROMANI.

COLLOQUIA LATINA¹

XXV.

Praemia.

PAULUS, GREGORIUS, FAUSTINUS.

PAULUS. – Iubemus te salvere, Gregori noster.

GREGORIUS. – Salvete, suavissimi sodales mei; quid agitur?

FAUSTINUS. – Mirabamur paulo ante ego

¹ EX IACOBI PONTANI opere, cui titulus: *Progymnasmata latinitatis* passim retractavit hodiernisque moribus aptavit I. F.

et Paulus ubinam delitesceres; etenim circumferentes oculos in omnem partem, certare te non poteramus eo in loco, quo, nisi me fallit opinio, nunquam fuisses quam hodie libentius.

PAUL. – Aliqua de improviso commotu te aedibus exire, ut suspicor, prohibuit.

GREG. – Nulla, Paule.

FAUST. – Quid ergo, amabo te, creavit hanc absentiam?

GREG. – Dum per tabulata in summis aedibus curro incautius, in clavis cuspidem e vetusto assere prominentem incidi, sauciatus sum factus: id vulnus me ut clavum sutorem residere domi adegit et iucundissimi spectaculi fructu privavit. Sed unde vos ad me?

PAUL. – Celeri passu ex ipso theatro huc nos contulimus.

GREG. – Frons laeta et oculi ludibundi indicio sunt rem vobis cecidisse ut voluistis.

PAUL. – Et ideo addito gradu ad te approparavimus, ut voluptatis te nostrae participem faceremus.

FAUST. – Haud aliquando aequa beatifimus ut hodie.

GREG. – Audire expeto; praemia nempe et secundam populi admurmurationem consequiti estis.

PAUL. – Qui bene coniicit, hunc vatem perhibeto optimum. Ita sane; obtinuimus praemia.

GREG. – Uterque obtinuit?

PAUL. – Uterque, atque ut nihil omnino dubites, rem ipsam proferemus: ecce lumen, quo ego sum donatus.

FAUST. – Et ecce meum.

GREG. – O venustos! o vere aureos libellos! nam auro radiant ac fulgent undique.

FAUST. – Considera paullisper emblemata et parerga frontium quam oculis blandiuntur.

GREG. – Iste est tuus, Paule?

PAUL. — Meus est.

GREG. — Ut bene, ut festive impressus est multicipitem Lernae belluam contundens Hercules!

PAUL. — Verte.

GREG. — O imaginem pulcrum! Aeneas patrem suum Anchisen humeris impositum ex incendio Troiano efferens, quem passibus etiam non aequis parvus Iulus sequitur.

FAUST. — Et meum aspice quam elegantiibus signis insignitus est!

GREG. — Sic est. Aperi, ut videam quis auctor, et qua de re scriptus.

PAUL. — PUBLIUS VERGILIUS MARO.

GREG. — Anno proximo superiore huiusmodi ego quoque consequutus sum; quem librum, ut gryphes in Riphaeis montibus aurum, custodio. Summopere parentes recreabis hisce munusculis tam politis et micantibus.

FAUST. — Spero equidem.

ROMA SACRA

Ss.mi D. N. Pii PP. XI epistola encyclica ad Foederatarum Americae Civitatum Episcopos de cinematographicis spectaculis.

Die XXIX superioris mensis iunii, festo Apostolorum Petri et Pauli, Sanctissimus D. N. Pius Papa XI encyclicam epistolam Foederatarum Americae Civitatum Episcopis dedit de cinematographicis spectaculis. In qua quidem debitis laudibus in primis «legioni» illi tributis quae «a decentia» nuncupatur in Americanis magno cum fructu excitatae, cuius participes sollemniter spondent nullum se unquam cinematographicum spectaculum exhibitos, nullique adstatores, quod rectos spectatorum mores demitteret, vel naturalem humanamque legem detrectaret, vel eiusdem violationem suaderet, ea revocat que Ipse iam annis MCMXXX, MCMXXXIV, ac recens, nempe mense aprilii huius anni, edixit ut cotidie id genus specta-

cula ad sanam institutionem educationemque valerent, non vero ad animarum ruinam earumque interitum. «At tanti ponderis res est — inquit, — perspectis praesertim civilis nostrorum temporum societatis condicionibus, ut opportunum Nobis videatur eam iterum magisque enucleate edidisse... impertientes praecpta praesertibus necessitatibus consentanea», quum cives ad decies centena millia bene multa huius generis spectaciones cotidie participant; quum penes quoslibet populos, sive funditus, sive leviter excultos, horum theatrorum numerum magis magisque increbescunt; eademque communem iam se relaxandi oblectandique rationem impertunt locupletium non modo, sed cuivis etiam societatis ordini.

«Ceterum, aliud nihil in praesens invenire queas, quod tanta efficacitate in multitudines polleat, cum ob ipsam imaginum naturam, quae versatilis lucis motu effinguntur, tum ob ludorum facilitatem, qui vel popularibus conceduntur, tum denique ob rerum adjuncta, quae iisdem ludis comitantur. Quae quidem efficacitas ex eo profuit quod per vividas illas species ac formas cinematographica ars loquitur, quae magna cum animi delectatione nulloque negotio eorum quoque sensibus obiiciuntur, qui, ut rudes sunt atque inculti, sive e rerum concretione enitendo ratiocinandoque discedere, sive ex causis earum effectus eruere, vel nolunt, vel saltem nequeunt. Legere etiam ac vel aurem dare alicui dicenti, quamdam postulat intentionem mentisque nisum; quod quidem cinematographica visio, per subsequentes continuato ordine oculisque subiectas imagines, summo cum gaudio removet. Atque efficientia eadem per cinematographia illa adaugetur, in quibus spectaciones cum congruentibus vocibus copulantur; ita enim facinora luce expressa expeditius intelleguntur, et scaenica actio, magna utique cum fascinatione, musicis concentibus coniungitur. Per choreas vero ac per interiectas illas ex arbitrio scaenas, quas «varietates» vocant, perturbati animi motus cupidinesque gliscunt citatioreque gradu incrementantur. Quapropter haec theatra veluti rerum scholae sunt, quae, magis quam meraca ratiocinatio, plerosque homines ad virtutem aequae ac ad pravitatem instimulare possunt. Oportet igitur salutaribus provehendis christianae conscientiae propositis eadem inserviant, quae integratos corrumpant depraventque mores.

«In comperto cuique est quantopere improbae id genus scaenae in spectatorum animos influant; ut cupidum enim libidinumque laudes efferunt, ita vitiorum occasionem praebent; iuvenes e recto itinere transversos agunt; ducentae vitae rationem fucata lucis specie propoundunt; capessendae perfectionis consilia infuscant atque debilitant; castum denique amorem, matrimonii sanctitatem atque intimas domestici convictus necessitudines, restinguunt. Praelaudatas praeterea falsasque opiniones cum singulis hominibus, tum civium classibus, nationibus variisque gentibus ingenerare queunt. At contra, eiusmodi ludi si ad optimas normas conformentur, vim possunt in spectatoris elicere sane saluberrimam. Non tantummodo siquidem delectant, sed etiam ad nobilissima quaeque erigunt atque excitant; valde utilia praecpta impertunt, itemque suae cuiusque ceterorumque patriae egregie gesta pulchritudinesque demonstrare possunt; virtutem veritatemque grato speciosoque more ostendere; in Civitatis ordinibus, in Nationibus, variisque stirpibus mutuae cognitionis voluntatisque studia gignere vel saltem promovere; iustitiae quoque causam amplecti; ad virtutem advocare omnes; ac denique ad novam magisque aequam humanae societatis ordinationem temperationemque adiutricem operam conferre.

«Quae animadversiones Nostrae magis profecto ex eo sumunt gravitatis, quod cinematographica ars non singulis civibus sed hominum stipitationibus quodammodo loquitur; idque per temporum, rerum locorumque condiciones, quae, ut ad pravum, ita ad optimum conflandum animorum ardorem perquam apta videntur: quod quidem ardoris studium in communem illam ac prorsus insanam concitationem evadere potest, quam experiendo novimus. Imaginum nempe series volibili luce spectatoribus proponuntur, qui in suboscuris theatris assidunt, et quorum mentis facultas spiritualesque vires plerumque languent. Atque id genus theatra longe quererere non est opus; eadem enim dominibus, sacris aedibus ac popularibus litterarum ludis ita contigua sunt, ut vim iam habeant in communem omnium vitam maximam maximumque momentum. Casus praeterea rerumque vicissitudines, quae per cinematographia effinguntur, ab hominibus sustinentur mulieribusque, dotibus natura datis et artificio auctis, omniisque ope tam instructis atque exornatis, ut interdum ad corruptelarum blandi-

menta adulescentes peculiari modo pellicere possint. Huc accessere musici concentus, sumptuosa loca, res procaciter obiectae oculis, omnisque novitatis varietatisque deliramenta. Qua praesertim ex causa horum ludorum fascinatio puerorum iuvenumque animos afficit ac tenet; ita quidem ut hac ipsa aetate, qua honestatis sensus innascitur atque informatur, qua iustitiae probitatisque principia e mentibus evolvuntur, qua denique officiorum notiones emergunt, et optima perfectionis proposita vitam attingunt atque pervadunt, cinematographica ars vim suam exerceat summamque efficacitatem. At, pro dolor, huiuscmodi efficientia, praesentibus in rerum adjunctis, nimio saepius in detrimentum vertitur. Quamobrem dum tantam recognitamus iuvenum nominatim ac puerorum ruinam, quorum integritas ac castitas hisce in theatris perclitatur, acerrima illa in tenuiorum corruptores Nobis succurrit Iesu Christi sententia: «Qui autem scandalizaverit unum de pusillis istis qui in me credunt, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo eius et demergatur in profundum maris». ¹ Pernecesse igitur est, nostris hisce temporibus, advigilare omniisque ope allabore ut id genus spectacula non illecebrarum scholae evadant, sed ut potius ad rectam hominum educationem et ad elatiorem morum dignitatem summopere conferant.

«Heic vero animadvertere operae pretium est — quod Nos libertissime facimus — nonnullos ex iis, qui Civitatis gubernacula moderantur, idcirco sollicitudine permoti, quod magnam in hominum mores huius artis impulsione cerneant, per probos viros ex patribus praesertim matribusque familias selectos, peculiares instituisse coetus, quibus sit res quae hac in causa edantur, inspicere, recognoscere ac dirigere. Ac novimus etiam eos saepenumero eamdem artem ad suorum cuiusque Nationis optimorum auctorum poëtarumque scripta hisce imaginibus referenda convertere contendisse».

Itaque omnibus catholici orbis Episcopis officio est, in communi hac, eademque potentissima, oblectationis institutionisque forma collatis inter se viribus evigilare. Atque ex iniuria ipsa quae probitatis religionisque conscientiae, itemque christianae doctrinae praecepsis inferatur, causam sumere, cur pravis istiusmodi ludis pro-

¹ MATTH., XVIII, 6-7.

hibeantur, nihil reliqui faciendo, ut omnia profacultate arceantur, quae decoris honestatisque sensus in populo laedere atque restinguere enitantur. « Quod quidem officium non modo Episcopos, sed quoslibet catholicos etiam omnesque cordatos homines tenet, quibus et domestici convictus, et patriae cuiusque suae, et totius humanae consortio honos atque integritas cordi sit.

« In praesens vero, quaenam vigilantiae cura habenda sit, — pergit Pontifex — inquiramus atque explanemus.

« Causa de cinematographicis pelliculis, quas vocant, efficiendis, ad probos mores quod attinet, funditus omnino feliciterque componeretur, si facultas esset imagines proferre, quae ad christiana fuissent principia conformatae. Quamobrem nunquam eos dilaudare desistemus, qui se huic arti devoverunt, vel in posterum devovrebunt, hoc tamen enitentes, ut haec scaenica spectacula ad sanam hominum educationem et ad christiana proposita reapse spectent. Id vero non leviter, sed technicorum more accuratisque rationibus faciant, ne incassum vires sumptusque effundant. At quoniam Nobis perspectum est quot quantaeque occurrant, in re praesertim oeconomica, difficultates, quominus haec incepta ordinatim componantur; ac quandoquidem penitus necessarium est res omnes hoc in genere edendas ita moderari, ut — ad religionis, morum civilisque societatis rationes quod pertinet — detimenta eadem non pariant, idcirco sacri Pastores oportet ad imagines omnes curam convertant, quae undecumque christiana plebi proferantur.

« Universos igitur catholici orbis Episcopos, quorum in Nationibus cinematographicae pelliculae effinguntur... vehementer adhortamur, ut christifideles illos paterno animo compellatis, qui huius artis industria quoquo modo participant. Graviter iidem animadvertisant et sua ipsorum officia, et eam, qua ut Ecclesiae filii tenentur, obligationem, pro viribus nempe entendi ut imagines, quas vel ipsum edant vel edendas adiuvent, saluberrimis principiis sint rectisque normis consentaneae. Haud pauci sane ex catholicis viris numerantur qui exsecutorum, moderatorum, auctorum, actorumve hac in re partes agant; attamen dolendum est non semper eorum operam cum eorum fide eorumque propositis consentire. Quapropter Episcoporum erit

eosdem commonere ut sua cuiusque actio proborum hominum conscientiae ac Iesu Christi sectatorum officio omnino respondeat. Hoc etiam in apostolatus campo, quemadmodum in ceteris omnibus, sacrorum Antistites eos procul dubio optimos experientur laboris socios, qui in Actionis Catholicae agminibus militant; quos Nos contineri non possumus quin per has Litteras iterum atque iterum excitemus ut, hanc etiam in causam, sedulam conferant atque indefatigabilem navitatem suam.

« Opportunum equidem est ut identidem sacri Pastores huius artis effectorum in memoriam redigant, sibimetipsis — quemadmodum de ceteris rebus, quae ad ministerium suum pertineant — ita de qualibet etiam honestae oblectationis forma curam esse; cum divino mandato teneantur concreti sibi populi mores, vel relaxationis tempore, regere atque moderari. Postulat enim sacram, quo funguntur, munus, ut palam aperteque moneant de honestamenta ludorum virtutis nervos in ipsis Nationibus elidere. Quamobrem, quod hoc in genere expetunt, non ad catholicos respicit, sed ad quosvis etiam horum theatrorum spectatores... Omnes vero, quotquot ubique terrarum episcopali dignitate aucti sunt, summopere curent, ut iis veluti ante oculos ponant, qui huic industriae dant operam, rem tam pollentem iamque in communem usum inventam perutiliter posse ad elatiorem morum perfectionem cum singulos, tum universam hominum consortium convertere atque dirigere. Equis enim de malis vitandis solummodo causa agatur? Et cur cinematographia inanes tantum otii horas conterant? At eadem possunt ac debent mirifica efficacitate sua spectatorum animos collustrare, ac reapse ad virtutes omnes compellere.

« In praesens vero, argumenti huius gravitate perspecta, opportunum ducimus peculiares aliquas animadversiones edere, huic rei consentaneas. Imprimis singuli curent animarum Pastores, ut — quemadmodum Foederatarum Americae Civitatum catholici — christifideles sibi crediti quotannis spondeant se nunquam cinematographicae spectacula participaturos, quae veritatem offendant christianaque doctrinae instituta. Quae quidem pollicitatio dandaque fides in sacris praesertim aedibus et in litterariis ludis haberi poterit; atque in hanc rem Episcopi adiutricem advocent actuosamque operam, cum patrum matrumque familias, qui peculiari hac in

causa obstringuntur officio, tum catholicorum etiam scriptorum, quibus erit huius veluti sacrae contentionis momentum diligenter utiliterque explanare.

« Ut autem sollemnis eiusmodi sponsio feliciter effecta detur, omnino necesse est, ut populo penitus in comperto sit quaenam imagines libera omnibus ad spectandum pateant, quasnam vero certis dumtaxat positis cautionibus videre liceat, ac denique quaenam perniciosae sint, vel reapse pravae. Quod profecto id exposcit, ut peculiaria ordine conficiantur typisque edantur rationaria seu elenchi, in quibus quam saepissime cinematographicae pelliculae distribute, ut diximus, ita proponantur, ut omnium in notitiam venire possint.

« In votis equidem est, unum tantummodo pro universis terrarum orbis partibus harum rerum rationarium statuere, quandoquidem omnes eadem in genere morum lege tenentur.

Attamen, quum de scaenicis actionibus agatur, quae ad quaslibet pertinent societatis classes, ad ineruditos nempe doctrinaque excultos, ad populares aequae ac ad primores civitatis, eadem procul dubio ubique gentium haberi sententia non potest. Dissimilia etenim sunt, pro variis regionibus, rerum adiuncta vitaeque rationes; quapropter unum ubique omnibus elenchem imperfiri non consentaneum est. At vero, si in quavis Natione distincto, ut diximus, ordine, rationarium exhibeatur, generalis iam, quae requiritur, habeatur norma. Quam ad rem prorsus necessarium est Episcopos stabile pro tota Natione inspectionis Officium constituere, cuius sit honestas imaginum series promovere, ceteras autem indicato more generatim distribuere, ac denique editum abs se iudicium sacerdotibus et christifidelibus significare. Quod quidem Officium Centralibus, ut aiunt, Catholicae Actionis Consiliis peropportune demandari poterit, quae, ut omnes norunt, a sacrorum Antistitibus pendent. Utcumque hoc pro certo habeatur, hanc scilicet inspectionis operam, ut valida in rectamque formam redacta eveniat, unam pro unaquaque Natione efficiendam esse, ab unoque regime moderandam. Attamen, si satis graves causae id reapse postulare videbuntur, sacris Pastoribus, in sua cuiusque Dioecesi, integrum erit per suos ad hoc delectos dioecesanos coetus severiore ea sententia uti, quam peculiaris depositat illius regionis indoles cinematographicas videlicet pel-

liculas vetando, quas generale rationarium idcirco permiserit, quod normas tradere teneatur, quae ad universam Nationem respiciant. Hoc praeterea Officium theatra id genus, quae vel penes paroeciales aedes, vel in catholicarum sodalitatum domibus habeantur, ita ordinanda curret, ut eadem probatis solummodo imaginibus fruantur. Per idoneam enim horum theatrorum disciplinam ordinationemque, quae in facilem saepenumero huius industriae effectorum clientelam transeant, id etiam vindicari poterit, ut nimirum effectores iidem res proferant, quae non modo scaenicis hisce catholicorum spectacionibus, sed ceteris etiam inservire queant.

« Haud ignoramus equidem Officii huius constitutionem non mediocres a christifidelibus postulare labores, postulare sumptus. Nihilo secus magnum huius causae momentum, itemque necessitas cum christiana plebis integritatem, tum totius Nationis honestatem tutandi, id impensa atque opera satis superque requirunt, Siquidem ob detrimentosum illud pravae cinematographicae artis ulcus, et scholarum nostrarum, et Catholicae Actionis sodalitatum, et sacri ipsius ministerii vis atque efficacia imminuit atque pericitatur. Animadvertisendum vero est in Officium idem oportere prorsus ut viri coēant, qui tam sint huius rei industriaeque periti, quam christiana doctrinae praecepsis penitus conformati. Ac praeterea sacerdos ab Episcopis delectus eosdem dirigat ac moderetur. Mutua etiam necessitudinem notiarumque commercia, quae inter eiusmodi Nationum Officia peropportune habentur, hanc inspectionis operam efficientiorem procul dubio magisque concordem reddent; quamquam dissimiles rerum, locorumque condiciones hac in causa diligenter reputandae sunt. Ita enim, omnium catholicorum scriptorum ope, miram sentiendi, iudicandi, agendique unitatem assequi fas erit.

« Officia eadem non modo ex experimentis inceptorumque eventibus, in Foederatis Americae Civitatibus habitis, utilitatem opportune percipient, sed ex laboribus etiam, quos in cinematographicae artis campo catholici ceterarum regionum homines suscepserint. Quodsi huius Officii sodales — quamvis optimis consiliis propositisque praestent — pro sua tamen hominum infirmitate, e recto interdum itinere deflexerint, videant sacrorum Antistites, pro sua ipsorum pastorali prudentia, ut, efficaciore quo poterint

modo, illapsis erroribus medeantur; utque debitam Officii auctoritatem ac nomen pro viribus tutentur, vel aliquem eidem attribuendo socium ampliore virtute enitentem, vel in locum eorum, qui ad gravissima haec obeunda munera non omnino apti visi fuerint, alias sufficiendo lectissimos viros.

« Si igitur catholici orbis Episcopi id in se reperirent, ut ad impertitas normas de cinematographicis spectaculis vigilem curam agant — quod Nos, quibus pastorale eorum studium omnino perspectum est, fore non dubitamus — perutilem profecto iidem operam conferre poterunt ad optimos tuendos, relaxationis oblectationisque tempore, sui populi mores. Omnium pro certo cordatorum hominum, catholicorum non modo, sed eorum etiam qui nostram non profertur fidem, laudes adipiscuntur et adiutricem navitatem; idque pro sua cuiusque parte efficit, ut maxima huiuscmodi vis, quae ad universas Nationes pertinet — cinematographica nempe ars — ad nobilissima quaeque provehenda proposita et ad rectioris vitae rationes commendandas convertatur ».

ANNALES

Post Aethiopicum bellum.

In Aethiopum quondam, nunc Italorum imperio, quum universae militiae magister Badoglio a regii Vicarii munere, ad quod electus fuerat, abdicasset, ut ad militaria suprema officia quae iampridem in Italia gerebat rediret, in eius locum suffectus est strenuus et ille praefectus castrorum Graziani, cui praecipue Somaliae subiectio tribuenda est, et omnes Aethiopum dignitates deditiois suae et obsequii alia post aliam signa in dies renovant. Sunt tamen hic illic praedonum greges, quarum altera ferriviam aggredi frustra conata est, altera Italorum militum manipulum per proditionem in Lechemti provincia oppressit; at vicissim, cognita re, ferro ignique a supervenientibus velivolis deleta est.

In Oriente.

In Oriente Sinarum chaoticus status et Arabum cum Iudeis Palaestinenses acer- rimae conflictationes perdurant.

Interim controversia de abrogandis sanctionibus in Italiam irrogatis apud populos Nationum Societatis participes longe lateque agitatur; dumque Polonia ex parte sua, lata lege, re eas abolet, Eden et Baldwin in legatorum Anglicis coetibus aperte factentur illas finem suum minime assequatas esse, ideoque earum continuationem inutilem futuram: tantum actio militaris externa eversas in Aethiopia res restituere posset: ecquod vero gubernium huiusmodi actionis periculum sibi sumeret?... Et Galli quoque et Belgarum ministri eamdem sententiam apud suos dicunt. Facile inde praevidebatur erat, Societatem Nationum in invisa re haud ulterius persistitam; quod quidem factum est: Coetus enim quem « compositionum » dicunt, apud Nationum Societatem constitutus, cui decisio commissa est, statuit kalendis iuliis esse sanctiones tollendas.

Italia vero et ab hisce Societatis sessionibus abstinuit, eoque magis quod ad eas admissa etiamtum fuissest Aethiopica legatio, cui ipse Hailé Sellassié, Aethiopum quondam rex, victus et transfuga, praefuit, sermonemque habuit mendacem et contumeliosum non in Italianum modo, sed et in Societatem Nationum, a qua denique mutuam pecuniam quaequivit, ut bellum resumere posset; quae petitio per singulorum sententiam exquisita, sui tantum ipsius unicum suffragium obtinuit.

Attamen si, has sessiones concludens, Nationum Societas consilium ratum habuit suas regulas reformandi, quaestionem in medio reliquit de adiectione Aethiopiae Italicu imperio, quam ad novum congressum, qui sub proximi septembribus mensis exitum indictus est, distulit.

De Lausanensis pacti retractatione, a Turcis facta, disceptatio.

Montreux, in oppido Helvetiae, congregatae nationes sunt Lausanensi pacto adhaerentes, ut de retractatione ipsius pacti a Turcis facta, de qua notitiam dedimus, cum Turcicæ reipublicæ legatis disceptarent. Hinc etiam Italia abfuit, quae Anglicas adhuc naves in Mediterraneo mari videt. Usque dum scribimus... verba, verba, praetereaque nihil.

POPLICOLA.

VARIA

Respublicas tribus modis solere imperium comparare.¹

Post hunc secundum locum obtinet is, quem a Thuscis, Achivis atque Aetolis observatum olim docuimus et ab Helvetiis etiamnunc observari. Nam etsi non magnum imperium facile sit consequi per hunc, quod Respublica disiuncta in plures civitates eodem foedere comprehensa, non tam facile de rebus gerendis consultare queat, nec tam cupidos habeat cives acquirendi imperii, quod in tot partes postmodum dividi oporteat, tamen ob has ipsas causas dupli nomine prodesse solet. Primum enim, si quid semel est occupatum, illud diutissime retinere solent; deinde non facile bellis sese immiscent, et pace feliciter utuntur; diutius enim de omnibus iis quae occurunt consultare coguntur, et lentius moventur, quam ubi unis in moenibus omnes comprehenduntur. Solet praeterea haec imperandi ratio certos sui incrementi limites habere, quos non facile

¹ Ex NICOLAI MACHIAVELLI opere: *De republica disputationes ex prima decade T. Livii latine vertit H. BINDI. — Cfr. fasc. sup.*

excedit. Nam postquam duodecim, aut quatuordecim urbes sese eodem foedere coniunixerunt, non solent plures recipere in societatem, quod satis se esse atque sufficiente existiment ad sui defensionem, neque magnopere querunt ut aliis imperent, quum parum singulis imperium illud prodesse queat: plurim vero sociorum multitudo, confusionem potius quam defensionis auxilium allatura esse videatur. Itaque quum eo usque acrevit foederis eorum societas, ut tali esse videantur ab exterorum incursionibus, et sufficientes ad sui defensionem, binos scopos sibi proponunt: Nam aut vicinas civitates et regiones in suam clientelam recipiunt, certo stipendio dato, quod inter ipsos facile dividunt, aut modo huic illi principi operam navant in bello. Idque quum ab Helvetiis nunc, tum olim ab aliis factitatum esse novimus. Quamobrem narrat Livius, quum aliquando Philippus, Macedoniae rex, praesente Aetolorum praetore, cum Tito Quintio Flaminio dissereret, obiectam esse illi praetori Aetolorum avaritiam a Philippo, quod non eos puderet militem suppeditare utrique hostium, ut in contrariis castris saepe Aetolorum signa cernerentur. Quamobrem vel ex hoc exemplo videtur ista administrandi acquirendique imperii ratio semper sibi similis fuisse. Alteram vero, qua subditi solummodo parantur, ut olim incommodam minimeque firmam fuisse constat, ita nostra quoque aetate Italicas civitatibus parum salutaris fuit. Solum Romanorum illa admirabilis fuit, cuius exemplum neque antea ab ullo populo, neque post usurpatum esse novimus; Thuscorum, Aetolorumque rempublicam imitantur aetate nostra soli Helvetii et Suevorum confoederatio. Quae quum ita sint, ac tam multa populus Romanus domi militiaeque praedclare institerit, et ad augendam et ad conservandam rempublicam salutaria, quae a nostris hominibus nec considerantur, nec ad imitandum proponuntur, mirum nemini videri de-

bet, si eo res nostrae in Italia redierunt, ut praeda simus cuicunque qui nos invadit. Nam, ut de ceteris taceamus, Thuscos certe nostros deceret, si non Romanorum illam disciplinam militarem, et augendi imperii rationem imitari se posse confiderent, eam saltem imitarentur, quam antiquissimi illi Thusci excogitarunt, qua, si non magnum et Romanorum simile imperium compararunt, tamen in Italia potentiam acquisiverunt, quantam illa administrandae reipublicae ratio permittit, eamque cum summa laude et aeterna sui nominis memoria possederunt longo tempore, donec ea, primum a Gallis labefactata, et denique a Populo Romano oppressa delectaque funditus caderet, usque adeo ut aetate nostra tanti illorum imperii vix ulla exsistent vestigia.

Pro iudicibus mensarum elegan-tibus

ESCARUM ORDO:

*Panis crustula in lycopersici cremo dis-persa.
Agnina segmenta frixa, circumiectis pisis.
Lixulae ad Romanorum morem.
Assum culminum cum acetariis.
Citri arantii sucus gelide concretus.*

Iocosa.

In ferriviae statione TUCCIUSS tessera-
rum diribitorem adit, et:
— Da mihi viaticam tesseram — rogat.
— Quo?
— In tertium curruum ordinem.
— Quo, inquam, devertes?
— Ad auratam aquilam.
— Sed hoc insigne fortasse est alicuius
tabernae.
— Est quidem.

— Et vis, ut curruum agmen eousque te adducat?
— Minime vero; in statione descendam.
— Et quo nomine vocant...
— Me? Tuccium.
— Non te, sed locum, oppidum, ur-
bem...
— Cuneum mea patria est.
— Heu me miserum, cuius patientia in
eo est ut rumpatur! Quaero ex te quo va-
das... quo vadas!
— Ah! id noscere cupiebas?
— Vah! id amussim.
— Vado ad avunculi mei inferias...
— Sed, pro hominum fidem, visne pro-
ferre locum...
— Ubi avunculus meus natus erat?
— Immo vero in quo parentalia flunt.
— In templo.
— Sed ferriviae statio unde templum
adibis quonam nomine distinguitur?
— Stationis centralis.
— Abi ad Acheruntem!
— Ecce ad Acheruntem, si Augusta
Taurinorum mihi petenda est?

Aenigmata.

I

Aptum per finem mihi totum defluit acre;
Defluit et candens dulceque principium.

II

(vulgo REBUS)

PRES ARES CRES E

Aenigmata in superiore fasciculo propo-sita his respondent: 1) *Plaga*; 2) *Num-en*.

IMPRIMATUR: Fr. A. ZAMPINI. Ep. Porphyreonen.,
Vic. Gen. Civitatis Vaticanae.
Dr. JOSEPHUS FORNARI, Moderator, Sponsor.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

REGULUS

ACTIO DRAMATICA HENRICI JOSEPHI COLLIN

(In Latinum convertit VALENTINUS FEHÉR).

Eamus, gnati, eamus; videamus illum; adiuvate me.
Ah, laetitia spiritum intercludit. Sinite me pauxillulum
Nunc aurae ducere. Ast ain vero? liberne factus est?
PU. Adest, hoc unum dixi. — AT. Et liber est? — PU. Pol, non ita.
AT. Non est liber? — PU. Crepitus catenarum a me auditus est.
AT. Spatio loci deceptus es; si adest, iam certe liber est;
Istuc reputa sis diligenter. Nam captivo Regulo
Quid esset negoti Romae? Fili, errore lapsus es.
Heus retracta dicta sis; ne terram despice pallidus
Ac torvos. — PU. Ut pervenit, senatum certiore de suo
Adventu fecit. Legatus est missus ex Karthagine
De pace aut certe de captiveis redimundis, ut dicitur.
AT. Ut dicitur? agedum ergo, lumen nobis appetit spei.
Tu quoque sic sentis? tacesne? Publi, qui potes
Tam inhumanus esse? — PU. Tene ego fallam? Hoc, matricula,
Votor facere. Quom ad illum festinarem passis bracchiis
Meumque pectus ad eius pectus vellem premere et nomine
Patris eum adpellarem, tum quasi refragans mihi
Manus obiecit et tristis oculos defixit desuper
In terram, dein raptim est avorsatus nec suos
Salutavit penatis; legatum Karthaginem
In hospitium sequutus est. Ibi illum requisiveram,
Tamen adire me votuit. — AT. Hau! tu credin? — PU. Non sine
Omni causa metui; nam liber esse non cupid.
AT. At tu, mi gnate, quid facies? Iam nunc malum
Portendo. Huc aspice me, cunctaris. Eheu, vae mihi,
Tuos meos oculos aspectus ferre non potest.
Num de te spes me fallit? Per deos, eloquere,
In tua manes sententia? — PU. Si fieri potest.
AT. Heu plus etiam fortasse facies; spectabis frigidus,
Quom denascor; mea mors erit horronda, vitam finiam
Desperans. — PU. Mater! — AT. Exclamabo hoc ultum:
Videte, gnatus hoc fecit meus! — PU. Heu mater, hoccine
Ego mereor? nam vitam pro te profundam lubens.
AT. Indigne te tractavi, amas me, cerno, ignosce mi;
Non fui compos animi. Eheu meum miserum caput!
PU. Mater, quiesce dum. Serani, matri consule,